



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1863

CXC. Friedensvertrag zwischen dem deutschen Orden und der Krone Polen, vom 8. Mai 1422.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55861](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55861)

CLXXXIX. Sander Machwitz, Vogt der Neumark, vereignet dem Kloster Zehden Besitzungen zu Groß-Mantel, am 25. Januar 1420.

Wy Szander Machwytz, Bruder Dutschen ordens, foit der Nienmarke, hebben gelegen in craft dusses vnser briues, liben etc. den ghestlichen togentfamen Juncfrawen des Closters Czeden XXXIII huben vnd XII kostenhoben in deme dorpe groffen mantel, als sy ligen in iren grenitzen, vnd der crug mit allen iren rechticheiten vnd czubehoringen — Datum Czeden — 1420 — am tage der bekeringe sente Pawels.

Aus Beckmanns Papieren.

CXC. Friedensvertrag zwischen dem deutschen Orden und der Krone Polen, vom 8. Mai 1422.

Nos Johannes Warmienfis, Gerardus Pomezanienfis, dei et apostolice sedis gracia et aliarum Christi, Henricus Holt in Elbingo, Martinus kempnater, in Thorun Commendatores, Walramus de hunsbach, Marschalcus prouincialis terre lyuonie, fratres Ordinis beate Marie Theutonicorum Irosolimitani, Necnon Johannes de Czippelyn, Johannes de Logendorff, Nicolaus de Schillingsdorff, Milites etc., Tractatores vnionis, pacis et Concordie perpetue, Inter serenissimos principes dominos Wladislaum, Dei gracia Regem et suum Regnum Polonie et cetera, et Alexandrum alias Witondum, Magnum duceum Litthwanie, terrasque et dominia ipsorum ex vna et Venerabilem et Religiosum Dominum Pawlum de Ruffdorff, Magistrum generalem Ordinis antedicti suumque Ordinem, Terras prussie, et lyuonie ac dominia ipsius parte ex altera pro parte Magistri et Ordinis antedictorum. Significamus tenore prefencium quibus expedit uniuersis, Quomodo pacem, Concordiam et unionem perpetuam inter serenissimos Principes etc. Regnum, terras et dominia ipsorum ab una et Magistrum generalem ac Ordinem ipsius predictum parte ex altera cum prefatorum principum nunciis cum plena potestate et principum prefatorum prefencia die date prefencium fecimus, firmauimus et Conclufimus sub certis punctis, articulis, clausulis et condicionibus regulatam infra scriptis. Primum nempe quod inter Regnum Polonie et terras Litthuanie, Ruslie, Mazouie et alias omnes que dominiorum ipsorum complectitur amplitudo et Subditos ab una et predictum Magistrum generalem, Ordinem, terras et subditos ipsius tam in Prussia quam in Lyuonia parte ex altera Omnes dissensiones, controuerfie et dampna inter partes hincinde facta, dimissa et totaliter sopita debent esse, nec illorum de cetero aliqua mencio aut memoria et signanter In querelis aut in distraccione parcium aliqua coram aliquibus personis habeatur aut fiat. Sed nec vna parcium ad infamiam alterius suggeret, consenciet, auxilium dabit et fauorem publice uel occulte et quantum in ea fuerit, delaciones et detracciones huiusmodi fieri non admittat, sed potius prohibebit. Item omnia bona Ecclesiarum Gneznenfis, Wladislaiensis, Ploczenfis, Poznaniensis prelatorumque, abbatum,

Monasteriorum, Conuentuum et aliarum quarumcumque personarum secularium ac Religiosarum, que sunt in terris Ordinis situata, debent circa Jura omnia tam ecclesiastica quam secularia et contra antiquas consuetudines, questus, decimas, Castra, villas, predia, curias et alias utilitates, emolumenta et prouentus quibuscumque nominibus nuncupentur conseruari, Nec aliquibus nouis consuetudinibus, seruiis aut onerationibus aggruari. Atque eadem bona non alienentur nec pro eorum alienacione instetur sine consensu prelatorum speciali. Item Magister generalis et Ordo predictus propter bona pacis et Concordie ad quam serenissimus Princeps dominus Rex Polonie etc. acclinatus cum ipsis perpetuam fecit et inuit Concordiam, domino Regi et ipsis Regno Polonie etc. territorium Nessouienſe cum fundo Caſtri Nessoua, quod demoliri debet et destrui infra hinc et festum Natiuitatis domini proximum debent, quod res ipsorum omnes cuiuscumque condicionis fuerint deportare et deducere et Castrum ipsum rumpere et desertum relinquere et ulterius usque ad festum sancti Johannis baptiste materiam Caſtri predicti educendi et deportandi plenam habeant, eciam si quid resultauerit et rumpendi potestatem imperpetuum dare et assignare debet cum omnibus uillis, iuribus et attinencijs, que ad dictum Castrum spectabant, et signanter cum uillis Orlaw, Murezinow, Nouawies, nec non cum Ryppa et medietate fluminis Wysla et insulis in ipsa mediate existentibus incipiendo ab eo loco quo fluuius Drewancia intrat Wyslam et consequenter inferius descendendo usque ad antiquos limites terrarum Pomeranie et Bidgostiensis includendo omnes prouentus in medietate prescripti fluminis Wisla, puta nauigia, piscaturas et alios fructus quoscumque in prefato flumine et insulis existentes. Item quod sub certo et determinato tempore dominus Rex suos consiliarios cum pleno mandato similiter et Magister suos destinare debent ad firmandas et signandas grenicies inter Regnum Polonie et terras Nouemarchie, Pomeranie, Colmenſis et Michelauienſis, in qua limitacione Magister et Ordo Regnum et Coronam debet admittere ad limites ab antiquo tentos et obseruatos et pons in flumine Drowa circa hogezejt remaneat non distructus et liber transeuntibus usque ad descensum Consiliariorum illorum et granicierum predictarum finalem consumacionem et ulterius si ibidem fuisse probabitur, imperpetuum remaneat. Item duces Mazouie in limitacione granicierum remanere debent circa litteras quas habent et similiter que in litteris Magistri et Ordinis super eisdem continentur et ubi in litteris limites descripti non fuerint ad eos firmandos prefati duces suos Consiliarios destinare debent. Similiter et ordo, que uero euidentiori testimonio parciū probauerit suas fore grenicies remaneat circa ipsas. Item a fine limitum ducum Mazouie incipiendo in flumine lyk a uado dicti Camynnybrod, quod jacet in superiori parte eiusdem fluminis Lyk altius quam isti lacus Greywo et Toczylow ab illo loco directe eundo per solitudinem usque ad illum locum qui dicitur Rogors ita quod medietas eiusdem lacus remaneat in terris domini ducis Littwanie et reliqua medietas in terris Ordinis et ab illo loco directo tramite per desertum usque ad quandam aream dictam Prejwyſti et ab illa area continuandum iter directum usque ad aream dictam Merunyſky et a Merunyſky directe eundo ad lacum qui uocatur dwiſtacz, ita tamen quod ille lacus remaneat totus in parte Ordinis et ab eo lacu, quo direccius iri potest ad ortum seu summitatem fluminis dicti lympuna eundem fluuium descendendo usque ad consumacionem eius, ubi intrat in fluuium Schiruinta et ulterius descendendo eundem fluuium Schiruinta usque ad consumacionem eius ubi intrat fluuius Scheschuppa et ulterius directe procedendo per solitudinem usque ad ryppam fluminis Memel ex opposito fluminis dicti Schwantha, ubi Idem fluuius schwantha intrat fluuium Memel predictum et hoc quo ad terram sudorum, eundem fluuium schwantha sursum ascendendo per duo milliaria et ab illo loco deserendo illum fluuium transeundum est per solitudinem quo direccius iri potest usque ad fluuium Jura relinquendo fluuium

Memmel in sinistro latere ubique per duo miliaria et dictum fluuium Jura ascendendo unum miliare ab eo loco fluuius Jura deferendus est et transeat per solitudinem, relinquendo fluuios Memmel et Rufna lacum qui dicitur hap et Castrum Memmel in samogitico Rupeda appellatum undique a sinistro latere per tria miliaria et sic transeundum est usque ad littus maris salii et hec sunt granicies terre samagitarum et Prussie.

Inter liuoniam uero, samagittiam, littwaniam et Russiam limites sint incipiendi a fluuio dicto Heylige A, ubi dictus fluuius intrat mare, eundem fluuium ascendendo sursum ad antiquos limites inter samagittiam, littwaniam, Russiam ab una et liuoniam ab altera partibus tentos et seruatos non tamen ad illos limites, qui signati sunt eo tempore, quando ordo terram samagittiarum tenuerat. Sed ad illos, qui antiquitus inter terras predictas sunt seruati. Item omnes mercatores et quicumque incole Regni Polonie et terrarum ac dominiorum littwanie, Russie et Mazouie et e conuerso prussie et liuonie et aliarum quarumlibet cum suis mercantiis et rebus quibuscumque libere et sine impedimento uel angaria per terras et maria, aquas ac fluuios quoscumque transire debent imperpetuum, quocienscumque ipsis expedire uidebitur, sine impositione theoloneorum, daciarum uel nouarum inuencionum quarumcumque, theoloneis tamen ac consuetudinibus antiquitus tentis ex utraque parte semper saluis. Item Commendatores, uicemcommendatores, aduocati, terrigene, Ciues et quicumque Ordinis officiales uel subditi aut etiam extranei uel aduene undecumque ad terras Ordinis uenientes regnicolas Polonie cuiuscumque status et Conditionis existant, terrarum littwanie, Russie, ducum Mazouie et uniuersorum Regni Polonie subditorum Incolas ad terras, Ciuitates, willas uel alia quocumque loca Ordinis causa negociacionis uel alia quacumque uenientes pro debitis et quibusuis aliis causis minime debent inpetere uel arrestare. Sed in terris Regni Polonie et ducum Mazouie, si quid eis restabit accionis cum ipsis causam uel causas suas Juris polonie terrestris ordine, quorum interest, prosequantur. Similiter et Indigenas Regni Polonie ac terrarum predictarum uel etiam quipiam extranei aut Aduene Indigenas Ordinis pro quibuscumque causis expressis superius uel non expressis In Regno Polonie uel dominiis supradictis minime debent arrestare, sed in terris Ordinis causas suas cum eis Juris ordine similiter prosequantur. Item quocienscumque de terris Regni Polonie, littwanie, Russie, Mazouie quorumcumque Regni subditorum kmethones, Coloni, Tabernatores, hortolani aut quipiam incole non satisficientes dominis suis iuxta regni consuetudinem ad terras ordinis publice uel occulte recefferint, Commendatores, aduocati, terrigene, Ciues et ceteri ordinis officiales uel subditi, ad quos tales uenerint, ipsos ad satisfaciendum dominis, a quibus recefferunt, compellant aut ipsos cum rebus et bonis omnibus cum quibus uenerint, restituere teneantur uiceuersa parimodo etiam si qui kmethones, Tabernatores uel Incole de terris Ordinis ad regnum et dominia predicta non satisficientes iuxta terre laudum et consuetudinem recefferint, nostri ipsos ad satisfacionem compellere et restituere teneantur. Item quocienscumque fures, vispilones, incendiarios aut alios malefactores de Regno Polonie, terris littwanie, Russie et Mazouie ad terras Ordinis fugere contingerit, extunc Regnicole polonie et dominorum predictorum ipsos libere et sine impedimento, quantumcumque remote se necessitas obtulerit, debent insequi, quibus Commendatores, uicemcommendatores, aduocati, terrigene, ciues et ceteri ordinis officiales uel subditi, qui per nostros requisiti fuerint super insequuone, capcione et afflictione dictorum maleficorum, nostris debent facere auxilia, consilia et fauores, ut predictos maleficos capere possint, captosque Jure ipsorum terrestris iuxta demeritorum exigenciam condempnatos affligere et punire: Et uersa uice si aliqui malefici de terris Ordinis ad regnum polonie profugerent, ipsos subditi ordinis quorum interest libere ac sine impedimento possunt insequi, capere et iuxta excessuum qualitatem nostro iudicio terrestris conuictos

condignis tradere suppliciis, quibus nostri Capitanei, Tenutarii, Burggraffii et officiales terrigene et subditi, quicumque requisiti per eos fuerint, similiter auxilia et consilia pro detencione, infecucione et punicione predictorum maleficorum debent facere oportuna. Et in casu, si capi non poterint, ordo ipsos fouere in suis non debet dominis. Et si fouere uellet, extunc ipsos in metis terrarum, quas huiusmodi tangit negocium, iurisdictioni teneatur exhibere et cum ipsis iusticie facere complementum. Item Ordo non debet fouere contra Regnum tales, qui regnum Polonie aut dominia supra-scripta vel Regni subditos ac dominiorum predictorum diffidarunt neque dominus Rex nec sui subditi in Regno seruire debent contra Ordinem aliquos, qui eundem diffidarunt vel subditos ordinis qualescumque. Item omnia priuilegia, inscripciones, federa et contractus, munimenta et quelibet littere, quas Ordo se habere asserit, et specialiter concordia Thorunenſis, duo sentencie per Serenissimum Dominum Sigismundum, Romanorum etc. Regem, Bude uidelicet et in Wratiflauia late, et littere originales, quas habet a principibus predictis dominis Rege Polonie et Magno Duce littuanie super terris samogitarum et Sudorum et aliis quibuslibet nec non et ille, quas habet super territorio et Castro Nessouienſe et uillis Orlaw, Murczinow et Nawawies et aliis ibidem situatis etc. a quibuscumque personis cuiuscumque gradus, status et condicionis aut eminencie existant super treugis et quibuslibet concordis et contractibus perpetuis vel ad tempus inpresenciarum restitui debent Alieque cassari debent et penitus annullari nec ad ipsas aliquis in antea debet haberi respectus preterquam ad Concordiam et unionem presentes. Et si alique littere, priuilegia et inscriptions reseruata in posterum fuerint, super terris, territorio, Castro et villis predictis ac concordis et contractibus supra-scriptis, Ille et illa extunc prout exnunc et exnunc prout extunc nullius debent esse roboris uel momenti. Item quod omnes captiui in presenti gwerra detenti ex utraque parte vicissim de Captiuitatibus huiusmodi dimittantur sine dolo et fraude liberi et soluti. Item quod antiqua nauigia circa Slothoriam uidelicet peditibus, equitibus et cum leuibis curribus ac circa Solicz et Fordan cum equis, rebus quibuslibet et curribus oneratis non debent prohiberi, sed pateant cuilibet transeunti. Item quod omnes profugi de Regno Polonie, terris Littuanie, Mazouie et Ruffie, qui in terris Ordinis hactenus fuerunt, libere redire ad Regnum et terras predictas valeant et bona ipsorum vendere, commutare et pro beneplacito eorum voluntatis conuertere: hoc ipsum omnes de terris Ordinis profugi uiceuerſa facere possunt. Item quod omnia bona que per Magistrum generalem et Ordinem recepta sunt hiis, qui sunt in Regno Polonie, terris Littuanie, Mazouie et Ruffie, debent per Ordinem restitui: uiceuerſa pari forma et omnibus incolis Ordinis bona per dominum Regem recepta debent restitui integraliter et ex toto. Item quod omnes Coadiutores et adherentes, qui in fauorem ordinis tempore gwerrarum presencium dominum Regem et suum Regnum diffidarunt, vigore presentis concordie, ab omni impetitione domini Regis et subditorum debent esse liberi et quieti et e conuerso qui in fauorem Regni Polonie Ordinem diffidarunt. Item quod terra Pomeranie, Colmenſis et terra Michauienſis debent manere circa ordinem et sentencie legatorum sedis apostolice, quam dominus Rex habet super eisdem, Cassa, irrita sit et inanis. Item quod omnibus apostatis, qui fugientes de Ordine morantur in terris Polonie, Littuanie et Mazouie, larga et libera facultas detur exeundi et de eisdem quo eis placuerit se transferendi Et quod omnimodo alii apostate ordinis predicti ibidem numquam foueantur. Item si pars aliqua ex predictis articulos aliquos bonos et parti utrique utiles et placitos excogitauerit, infra hinc et terminum, in quo presens contractus debet consumari et finiri, ut illi presenti concordie imponantur et inferantur. Item si aliquis de Regno Polonie subditos Ordinis in terris ipsorum uolenter inuaserit et super eo Capitaneus Regni vel Tenutarius Regni requisitus iusticiam non faceret, extunc pro negligencia

huiusmodi a capitaneatu vel officio est deponendus et hoc si legitime probatum fuerit contra ipsum similiter ex altera parte, Si commendator in reddenda iusticia negligens fuerit, destituatur et nichilominus qui succedet iusticiam teneatur facere expeditam. Si uero is, qui pro iusticia racione delicti predicti requiritur simplex fuerit terrigena Et iusticiam facere recusaret, extunc dampna iusticia requirente per Capitaneum de bonis terrigenae predicti compensentur et solventur. Item pro dampnis personis ecclesiasticis et ipsorum bonis, Ecclesijs et monasterijs In gwerra presenti per dominos Regem Polonie et Magnum ducem Littuanie antedictos et exercitus in terra Ordinis illatis et econtra per ordinem in Regno Polonie pontifices, abbates et prelati partis utriusque sufferre debent et nullus ipsorum racione dampnorum predictorum partem inferentem eadem debet Jure aut quavis alia impetitione molestare, quomodolibet fatigare vel turbare, quod eciam litteris suis autenticis et capitulorum suorum aut Conuentuum roborabunt. Item ad statuendum collectorem pecuniarum nauigij circa Thorun Capitaneus domini Regis Polonie vel is, qui fuerit ad ea deputatus et Commendator Thorunensis pro tempore existens Conueniant et ipsum ad unum annum constituent, qui sub prestito parti utriusque iuramento pecunias, quas collegerit, diebus dominicis in manus utriusque presentet equali porcione diuidendas solutis precii famulorum et reparacione nauium de communi. Et si post decursum anni ille collector parti non placuerit, extunc partes predictae conueniant et unanimiter tam Capitaneus siue ad ea deputatus quam Commendator alium eligant, quociens fuerit opportunum, Seruicia uero per famulos nauigij predicti, que Scharwerk appellantur, partibus predictis alternatis septimanis impendantur et tunc pars quelibet in sua septimana ipsis prouideat de expensis modo et forma sicut actenus eis est prouisum. Item quod si in antea una parcium alteri bellorum fremitus aut gwerrarum quod absit mouere uellet, diffidia contra Concordiam et unionem parantes; Extunc utriusque partis subditi et homagiales terrigenae et Ciuitatis in hac parte bella mouere uolenti non debent contra reliquam parcium consentire in aliqua parte nec adiuuare vel assistere auxilio, consilio vel fauore per se vel alium publice uel occulte, super quo utraque pars suis subditis litteras, inscriptiones et munita specialia dare debet, quod ipsos pro huiusmodi non assistentes et inobedientes non debet impetere, castigare uel quouismodo impedire, quod futuri Reges Polonie et Magistri Ordinis antedicti ad requisicionem alterius promittant denuo et se inferebunt, quod huiusmodi Concordiam inuiolabiliter obseruabunt. Item si aliquando quod absit contingeret, quod alicuius displicencie, iniurie siue discordie inter predictos dominos Regem Polonie et Ducem magnum Littuanie ex una et Magistros tam in Prussia quam in Livonia predictos ex alia partibus specialiter emerferint, mox pars lesa alteri tenebitur et debeat litteris suis vel nunciis illam significare iniuriam et tandem ambe partes efficere tenebuntur, quod ipsarum Consiliiarii ad certum locum et diem pro complananda huiusmodi discordia et iniuria refundenda conuenirent de huiusmodi negociis tractaturi, hoc ipsum inter dominos duces et Magistros predictos obseruetur. Item omnes uiolaciones treugarum, pacis federum, stipulacionum et contractuum, si que inter partes predictas in gwerris preteritis accidissent, vigore presentis Concordie annullamus et Cassamus: omnes quoque nobiles, Ciues et alios quoscumque homines in terris Magistri et Ordinis existentes ab omnibus homagiis alias nobis factis et prestitis liberamus et absoluius per presentes. Promittimus quoque nos tractatores presentis Concordie superscripti, pollicemur et spondemus bona fide sine dolo et fraude pro prefatis Magistro et Ordine, quod dictam pacis concordiam et unionem per nos compositam tractatam et conclusam prefati Magister et Ordo tenebunt, seruabunt et custodient perpetuis temporibus et in ewum inconcussa sincera fide sine dolo uel fraudis scrupulo ad ipsamque ratificandam, firmandam, roborandam et in formam

debitam sub titulis dictorum Magistri et Ordinis suos prelatos et preceptores cum sigillis suis maioribus unacum sigillis terrigenarum et civitatum per tractatores alterius partis electarum in Gnywcow super crastinum diem ante festum omnium sanctorum proxime venturum destinabunt et sub punctis, articulis et Conditionibus superius descriptis ratificabunt, roborabunt et firmabunt, harum quibus sigilla nostra appensa sunt testimonio litterarum. Datum in loco stationis exercituum nostrorum antedictorum videlicet ducis et Regis In flumine Ossa iuxta lacum Melno inter Raczyn et Rogozno Castris in terris Prussie, ipso die sancti Stanislai pontificis gloriosissimi, Anno domini Millesimo quadringentesimo vigesimo secundo. Littere Concordie super perpetua pace Inter nos et Regem et Regnum Polonie Anno mill. IV^o. XXII facta et ordinata.

Nach Raczynski Cod. dipl. Litth. S. 285.

CXCI. Zander Machwitz, Vogt der Neuemark, belehnt mit Zustimmung seines Amtsnachfolgers Jost Struperger, Michael von Sydow mit dem halben Dorfe Fürstenfelde, im Jahre 1420.

Wir Zander Machwitz, Bruder dutsches ordens, Voit der Nuwenmarke, tun kunt vnd bekennen öffentlich allen den genen, die diszen vnser briv sehen oder horen lesen, das wie nach rate, fulbort vnd willen des erfamen hern Jost Struperger, der an dem obingeschrieben vnsem ampte der Newenmarcke vnser Nachkomeling feyn sal, haben gelegen vnd in craft dieses vnser briefes gegenwertiglichen dem erbaren vnsem lieben getruen Michel von Sidow vnd seinen rechten erben met einer rechten samenden hand das halbe dorf furstenfelde met allen seinen rechticheiten, einbehorngihen, das sy an zinsen, vruchten, holtzen, walzern, wesen oder wor an das sy, alz das in seinen grenitzen gelegen ist, doran nichts vngenomen, vnd die halbe furstenfeldische heyde, die tuszen den grenitzen des vorgeschrieben halben dorffes gelegen is, in aller wise, als das seine vorfaren besessen vnd gehabt haben vnd im von fursten vnd hern gelegen ist, das er vnd seine erben met derselbigen fursten vnd hern briven nachbrenghen vnd bewisen mogen. Diefelbigen fursten vnd hern Brive wir bestedigen vor vns vnd vnser nachkomlinge an vnsern rechtigkeiten vnd dienften vnshedlichen. Zu grossem bekentnis haben wir vnser amptsinsigel an diesen vnser briv met fulbort des egedachten erfamen hern Jost Struperger met vnsern guten willen vnd wilzen laszen vnd heissen an henghen. Gegeuen zum Soldine, nach der gebort vnser heren Jesu Christi MCCCCXX Jare.

Aus Diekmann's Urkundensammlung des Königl. geheimen Staats-Archives fol. 225.